



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtru[m] ad materiam huius sacramenti requiratur determinata quantitas?

2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

Ad tertium dicendum, quod vinum in modica quantitate sumptum, non potest multum ægrotanti nocere. Et tamen si nocumentum timeatur, non est necesse quod omnes accipientes corpus Christi, etiã accipiant sanguinem, vt infra dicitur *.

ARTIC. II.

Vtrum requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti. Effectus enim gratiæ non sunt minus ordinati, quam effectus naturæ. Sed sicut dicitur * in secundo de anima, omnium natura constantium, positus est terminus, & ratio magnitudinis & augmenti. Ergo multo magis in hoc sacramento (quod dicitur eucharistia, id est, bona gratia) requiritur determinata quantitas panis & vini.

¶ 2 Præterea, Ministris ecclesiæ non est à Christo data potestas ad ea quæ pertinent ad irrisionem fidei & sacramentorum eius: secundum illud secundæ Cor. 10. Secundum potestatem quam dedit nobis Deus in ædificationem, & non in destructionem. Sed hoc esset ad irrisionem sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem, qui venditur in foro, & totum vinum quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest.

¶ 3 Præterea, Si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam baptisimi: sed solum aqua illa, qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in hoc sacramento superflua quantitas panis & vini consecrari potest.

SED contra est, quod multum opponitur paucis, & magnum paruo. Sed nulla est ita parua quantitas panis, aut vini, quæ non possit consecrari. Ergo etiam nulla est ita magna, quæ consecrari non possit.

RESPONDEO dicendum, quod quidam dixerunt, quod sacerdos non posset consecrare immensam

q. 80. art. 12.

433

4. d. 1. q.

2. a. 1. q. 3

lib. 2. de

ani. 10x.

41. fo. 2.

nam quantitatem panis, aut vini: puta totum panem, qui venditur in foro; aut totum vinum, quod est in dolio. Sed hoc non videtur esse verum: quia in omnibus habentibus materiã, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut materia ferræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem huius sacramenti est usus fidelium. Vnde oportet, quod quantitas materiæ huius sacramenti determinetur per comparisonem ad usum fidelium. Non autem potest esse quod determinetur per comparisonem ad usum fidelium, qui nunc occurrunt: alioquin sacerdos paucos parochianos habens, non posset consecrare multas hostias. Vnde relinquitur, quod materia huius sacramenti determinetur per comparisonem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Vnde non potest dici, quod quantitas materiæ huius sacramenti sit determinata.

Ad primum ergo dicendum, quod cuiuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparisonem ad formam determinatã. Sed numerus fidelium, ad quorum usum ordinatur hoc sacramentum, non est determinatus. Vnde non est simile.

Ad secundum dicendum, quod potestas ministrorum ecclesiæ ad duo ordinatur. Primo quidem ad effectum proprium: secundo ad finem effectus. Secundum autem non tollit primum. Vnde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi, propter aliquem malum finem (puta ut irrideat, vel veneficia faciat) propter intentionem mali finis peccat: nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod baptismi sacramentum perficitur in usu materiæ: & ideo per formam baptismi non plus de aqua sanctificatur, quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Et ideo non est simile.